

316

314

320

310

325

305

365

265

415

215

Ende

Anfang

301

assumisit, usque ad portam judicariam, et a porta transeundo per voraginis pontem usque ad rupem, quae non erat statim ante pontem, sed per aliquod spatium distabat sursum transeundo super marginem voraginis, et ibi scopulus super marginem ita dispositus erat, quod Dominus in eo crucifixus dorsum ad orientem contra civitatem habuit, vultum vero contra occidentem vertit. An autem Dominus crucifixus sit super scopulum, vel intra, venit in dubium, (116 A) quia propter structuras nescitur, quam latus fuerit in suo culmine scopulus. Ego credo, quod infra scopulum fuerit Dominus crucifixus, et eo cruci affixo crucem cum ipso super scopulum traxerunt sursum, et ibi eam rupi imposuerunt.

Ante crucifixionem Christi fuit locus Calvariae honorabilis ab antiquo. In eo fuit Adae testa decalvata reperta, a qua Calvaria est locus dictus, vel Calvaria et Golgatha, quod idem est. Judaei ab antiquo hunc locum venerati sunt, quia credunt, in eo Abrahamum voluisse immolare Isaac, filium suum, ut dicetur. Et ideo unum de excelsis erat in loco isto, ut creditur, in quibus populus immolabat etiam constructo templo, quod saepe reprehenditur in libris Regum, ubi etiam de sanctis regibus dicitur: et fecit bonum coram Domino, veruntamen excelsa non abstulit, adhuc enim populus immolabat in excelsis. Fuerunt enim quaedam loca in terra sancta, in quibus quaedam memorabilia facta fuerunt peracta a Domino, et in quibus ante templi aedificationem colebatur Dominus, et hostiis placabatur; quod facto templo non licuit. Ut fuit locus Sylo et Galgala, et mons Oliveti, et locus Calvariae. Singulariter tamen in hoc excelso populus nimis immolando exceudebat, quia in eo collocatus fuerat serpens aeneus, de quo habetur Numeror. 21., quem populus multum venerabatur usque ad tempora Ezechiae regis, qui eum comminuit, ut habetur.

4. Reg. 18.

Venerabantur ergo antiqui locum hunc, quia Melchisedech ibi Abrahae occurrit cum pane et vino; et ibi est etiam mundi medium, de quibus omnibus patebit statim.

Porro, dum Judaei amisissent regnum, et regibus alienigenis et gentilibus gubernarentur, qui eos odio habebant, in displicentiam Judaeorum locum Calvariae et Golgathae fecerunt

